



DISPUTATIO PHYSICA

*de*

F A T O,

*Quam*

Divinâ adspirante Gratiâ

In Florentissimâ VVittebergeni Academia,

PRÆSIDE

V I R O

Plurimum Reverendo, Praeclarissimo Excellentissimoq;

Dn. CONSTANTINO Giegtai

ss. Theol. D. Physices Professore Publico longè  
dignissimo, atqve Amplissimæ Facultatis Philo-  
philicæ h. t. DECANO Spectatissimo,

Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore  
maximoperè devenerando,

*placide συμφιλοσσφύντων disquisitioni publicè  
subjicit*

ADAMUS LAURENTIUS NICOLAI,  
Lubecensis.

*Ad diem IV. Mart. Horis Matutinis*

In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ,

Philos. scudebat JOH. RÖHNERUS, Acad. Typogr. 1665,

D.

95, 22

213

29

15

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden

CS

בְּהִנּוֹתָה

## Introductio.

Ostqvam hactenus causas **Corporis**  
Naturalis cùm in genere tūm in  
specie, hasq; & internas, Materi-  
am ac Formam, nec non, qvæ realiter  
ab his non differt, Naturam; & externas, Efficien-  
tem ac Finem, qvin etiam nonnullorum effectuum cau-  
sas per accidens, Fortunam & casum, hujusq; exem-  
plum elegantissimum, Monstrum, tradidimus; Non abs-  
re facturos nos arbitramur, si anteqvam huic causarum specu-  
lationi colophonem imponamus, doctrinam de **Fato**  
subjungamus & explicemus. Enimverò, qvia, ceu *B. Sperlin-*  
*gius in Institut. suis Phys. l.l. c.X. p.284.* infert, in ore omnium  
versantur seqventia: Sic fuit in fatis. Fata regunt mundum.  
Fato connubia fiunt. Fato fontes rapiuntur ad poenas. Fato  
fiunt tonitrua & fulgura. Fato fiunt sapientes & moriones.  
Fato aliis miles, aliis sutor, aliis sartor, aliis Doctor est. Fato  
alius Philosophum, aliis Medicum, aliis Jureconsultum, aliis  
Theologum agit. Fato qvivis hominum & oritur & moritur.  
Fato imperia transferuntur, translata confirmantur, confirma-  
ta iterum infirmantur; meritò, qvid hac de re statuendum sen-  
tiendumq; sit, exponere satagimus hac disputatione, cujus Bo-  
no cum Deo sit.

### SECTIO PRIMA,

*Hujusq;*

### Caput Primum

*Explicans*

### Definitionem Fati,

*qvæ ita habet,*

A 2

Fatum

Fatum est ordo in causis naturalibus effectus suos infallibiliter inferentibus à Deo glorioſe præcognitus præordinatus & præstitutus.

§. 1. Cum Fatum à variis variè accipiatur, ceu jamjam videbimus, descriptionem, quæ adæquatè illud repræsentet, dare non potuimus, dedimus tamen, quæ cum primis Fatum dicit physicum. Constat verò definitio illa cùm Genere tūm Differentiæ. Genus, quæcunq; etiam sit, est ordo causarum, quem alii vocant seriem causarum, alii nexus. Ipsum enim Fatum non est una causa, sed causarum collectio & series ad effectus certos applicata.

§. 2. Differentia desumpta est à causarum illarum restrictione & limitatione, notatq; ve, ceu B. Sperlingius l.c. rectissimè annotat. 1. ad Fatum tantum spectare causas naturales non verò liberas. Liberæ enim causæ effectus suos ita producunt, ut soli Deo, non autem causis aliis subjiciantur. Hinc in istis nulla habetur infallibilitas & inevitabilitas, sed contingentia & mutabilitas. 2. Causas illas ad effectus suos esse relatas. Nam Fatum non nudam causarum seriem notat, sed applicationem istarum ad certa effecta connotat. 3. istam causarum seriem à Deo esse præcognitam, præordinatam & præstitutam. Nihil enim causæ secundæ operantur, qvod non sit à primâ prævisum & præscriptum.

## Caput Secundum

tradens

### Divisionem Fati

I. Est verò Fatum vel Theologicum, vel Astrologicum, vel Physicum, vel Stoicum.

II. Fatum

III. Fatum

II. Fatum Theologicum est æternum  
Dei decretum & consilium de omnibus re-  
rum eventibus in præcipiendo, agendo, per-  
mittendo & determinando consistens, sic  
fato fiunt divites & pauperes, pulchri & de-  
formes, &c.

III. Fatum Astrologicum est Astro-  
rum in corpora inferiora influentia, variè  
ista regens ac dirigens. Sic fato fiunt Eclipses,  
tempora, anni &c.

IV. Fatum Physicum est omnium  
causarum naturalium ordo effectus neces-  
sarios & infallibiles inferens, Deo Naturæ  
Autori subiectus. Sic fato fiunt frigora,  
æstus, venti, pluviæ, aliaqve.

V. Fatum Stoicum est absolute rerum  
necessitas, ex siderum influxu aliarumque  
causarum creatarum nexu orta, omnes  
actiones cum humanastum divinas respici-  
ens. Sic fato hoc ipse Deus quoq; numen  
Parcarum carcere clausum singitur.

§. I. In ore ferè omnium divisio hæc fati est, quâ de re vi-  
deri possunt Gerhardus Johannes Vossius de origine & progressu  
Idolatriæ Lib. II. c. XLIV seqq. p. 549 seqq. Hugo Grotius de fate,

alii. Tantum vero abest, ut divisio sit generis in suas species, ut potius distinctio saltem sit vocis juxta varias acceptiones. Cum enim, quae sententia est B. Sperlingii c. l. de fato aliter loquuntur Theologi, aliter Astrologi, aliter Physici, aliter Stoici, non sine re haec fati introducta est divisio, non tam fati rationem propriam, quam hominum de fato rationes & opiniones varias exprimens. Directe tamen huc pertinet tantum fatum physicum, indirecte alia, cum, juxta illud tritissimum, opposita juxta se posita magis elucescant.

§. 2. *Fatum Theologicum* Creatorem creaturas suas conservantem ac dirigen tem dicit. Etenim inter Deum & Creaturam non talis est relatio, qualis inter architectum & aedificium, ut cessante architecto ab influxu suo causal i, nihilominus aedificium ritè extructum jugiter permanere possit; sed requiriatur perpetuus Dei in Creaturam influxus hujusq; realis relatio ad Deum, cum alias creatura statim in nihilum abiret, extra conservationem hanc si foret, ceu hac de re verissime statuit B. Augustinus l. 4. de Gen. ad lit. c. 12. Sic Lactantius l. 3. Institut. c. 19. scribit: Qvis non sentiat hunc mundum tam mirabile ratione perfectum aliquâ providentiâ gubernari? quandoq; videm nihil est, qvod possit sine ullo moderatore consistere. Sic dominus ab habitatore deserta dilabitur, navis sine gubernatore abit pesum, & corpus relictum ab animâ difflit, nedum putemus, tantam illam molem aut construi sine artifice aut stare tamdiu sine rectore potuisse. Et fatum hoc omnia in toto hoc mundo contenta sive sublimia sunt & excelsa, sive humilia & abjecta, sive salutaria & proficia, sive damnabilia & noxia gubernat. Idque ita qvidem præstat, ut nullius naturam propriam evertat, sed cum liberis liberè, cum contingentibus contingenter, cum necessariis necessariō, cum fortibus fortiter, & cum debilibus debiliter concurrat. Sicut ergo fato huic res omnes creatæ, ne minimis qvidem exceptis, in quibus saepius virtutes maxima & divinitatis vestigia: Ita in specie illi subsunt primò res inanimatae, quibus præter esse nihil est reliquum, cælum, stellæ, elementa, Metalla, Meteora cum Hypostatica, ignita, aquæ, spirituosa, tum Emphatica. Unde iterum Augustinus

*gustinus l.5. l.c. c.21.* Nihil tamen videtur casibus volvi, quam omnes istae procellosæ ac turbulentæ qualitates (loquitur autem de igne, grandine, nive, vapore, vento, aliis ex Ps. 147,7.) quibus cœli hujus inferioris, quod non immerito etiam terræ nomine deputatum est, facies variatur & vertitur, sed quia Psaltes addit, qui faciunt verbum ejus, satis ostendit, earum quoque rerum ordinem divino subditum imperio, latere nos potius, quam universitatis deesse naturæ: *Deinde τὰ ζωντα, vegetabilia* è terrâ nascentia, plantæ, arbores, fructus: *Tertio τὰ αἰθητά, sensibilia* hæcque volatilia, natatilia, gressilia & reptilia: *Tandem τὰ λογικά*, Homines. Hinc de fato hoc *Philippus l.2. p.135.* ita disserit: Primum videndum est, ubi fatum propriò divinam providentiam significet, & considerandum, quæ quo modo sint necessaria seu immutabilia, quæ divinitus decreta sunt. Non enim similis ratio est omnium. Ac tantum justa, quæ vel oriuntur à voluntate Dei vel adjuvantur à Deo, fato fieri dicuntur. Ut fato dicuntur imperia constitui, id est providentiâ divinâ. Nam imperiorum constitutio nec ad stellas, nec ad alias causas secundas principaliter referenda est. Sic ait Virgilius: Italiam fato profugus Latinaque venit littora, id est, divinâ providentiâ.

§.3. *Fatum Astrologicum vim & potentiam astrorum in hæc inferiora corpora influentium, varieq; ista regentium ac dirigentium dicit.* Enimvero hoc *fatum* fundari in rei veritate, neminem latere potest, ingratumq; in Creatorem dixerimus, qui in dubium vocare, impium planè, qui negare omnino fatum illud præsumserit. Solem videamus. Quid manifestius, quam ipsum decursu suo per signa duodena singulis mensibus variare anni qualitates. Quam rem ita exponit Proclus vel alius in lib. i. περὶ αἱθίβλως. Οὐαμενόπικτὴν ἔηλισ κίνησιν αἱ ὥραις ἐτῶς γιγνονται, καὶ συμεταβάλλονται τῷ ετησίῳ ὥραις τῷ ἡμέτερῳ σώματα. Καὶ τὸ χρήλεγειν φέτι τῶν ετησίων τρισπάν, ὅπου ὁ σῆμεραι τὰς γινομένας τρισπάν τρισηκοσίας δύσης ταῖς καθόλοις εὐρύσκουμεν μεταβαλλόσταις ήματις. Ανίχων γδὲ ἡλιοτροπίης τὴν ἔξαρτη μετισῶν τὸν αἴρει, θιαύτην καὶ τοῖς ἡμετέροις σώμασι διέβασιν τὴν ἡπόροιαν. Καὶ περιέσσης τῆς ἡμέρας, ὅπου ἴδειν τὰς καθόλοις οράσεις ἐν ταῖς

Cais μερικαῖς ἐμπεριεχομένας. Σὶ δὲ λας ἐνεργήτης τῆς γῆς εἰπόρ-  
ροια. Χεὶς ἡμᾶς καὶ τὸν ἀδηλὸν αἰσθησιν τῷ λογισμῷ κρίνοντας εὑρί-  
σκειν. Cernimus motu Solis anni tempora distingvi, unaq; cum  
eis corpora nostra immutari. Et quid attinet de annis conver-  
sionibus dicere? cum quotidianas conversiones illis annuis  
consimiles esse in nobis immutandis animadvertisamus. Sol  
enim oriens & aeternum ad veris temperiem redigens, talem etiam  
corporibus nostris qualitatem insinuat, & die progrediente  
videre est universalia temperamenta in particularibus contine-  
ri. Quod si omnino evidens quidam contingat influxus, nobis  
etiam occultus sensus rationis iudicio est indagandus. Sic Lu-  
nam intueamur, cujus vim in hæc inferiora jamjam laudatus  
Autor his verbis asserit: Ή σελήνη, όχ' ὅπ μείζονα τῇ ἡλίᾳ  
κέκτηται δύναμιν, δοκεῖ ἡμᾶς ἐνεργέστερον μετέβαλλεν, ἀλλ' ὅπ πε-  
ριγειοτέρα τογχάνου, πλείσην ἡμῖν εν δίδοσι τὴν απόρροιαν. Ορῶ-  
μεν γέ, καὶ τὰ θαλαττικὰ ζῶα συναυξανόμενα καὶ συμφύμενα τῇ  
σελήνῃ. Καὶ ἡμῶν δὲ αυτῶν πνὰ μέρη τῇ σώματι. οἷον ἔνυχας καὶ  
τρίχας. Ήν δὲ τὸν ιερόν ζῶον εν τῇ Αἰγύπτῳ, ταῦρον αἴσανειμεν  
τῇ Θεῷ, ἢ οὐδὲ συντυχανεν αὐτῇ καὶ συνεμελῇ. Εἰσὶ δὲ καὶ νῦν,  
σύμφωνοντες καὶ συναυξέντος λίθοι πνεὺς τῇ Θεῷ. Apparet, Lu-  
nam, non quod sole majorem vim habeat, nos evidentius im-  
mutare; Sed quod terræ vicinior, magis nos suo lumine & mo-  
tu afficiat. Videmus enim & marinas animantes unā cum Lu-  
nâ & crescere & decrescere, & nostri corporis partes quasdam,  
ut ungues & crines. Fuit etiam quoddam sacrum in Ægypto  
animal, videlicet Taurus, huic Deæ sacer, cuius cauda cum lu-  
nâ & augebatur & minuebatur. Sunt etiam hodiè lapides qui-  
dam, qui unā cum eâ & accrescunt & decrescunt. Neq; frustra  
divina sapientia solis & lunæ cursui, qui dierum, mensium, an-  
norum spatia definivit, etiam quinq; addidit errores. Quem-  
admodum hæc pluribus deducit Vossius supra citatus p. 565 seqq.  
& Philippus l.c. p. 136, dum ita scribit: Ortus & occasus stellarum  
ita ordinat: sunt, ut profint rebus nascentibus. Postquam pri-  
mo vere terra mediocriter calefieri cepit post æquinoctium, &  
seges nata in autumno tunc reviviscens, ac semina recens sparsa  
in terram indigent irrigatione, ortus Plejadum & Hyadum re-  
gulariter

gulariter pluvias ad fert. Deinde rursus fit rigatio, cum sol & luna in cancro conveniunt ac praesertim cum ad præsepe accesserunt. Deinde majore siccitate opus est in messe, ideo Leo & Canicula augent æstum & siccitatem. Deinde rursus Arcturi ortus, ac postea Plejadum, Hyadum & Orionis occasus initio hyemis carent humidas tempestates. Hic ordo significat, artus motus ordinatos esse, & testimonium est, hunc mundum non extitisse casu. Variatur autem hic regularis ordo, alias magis, alias minus, Planetarum motibus, quorum insignes positus alias efficiunt majores humiditates, alias majores siccitates, ut exempla manifesta ostendunt.

§.4. *Fatum Physicum omnium causarum naturalium ordinem effectus necessarios & infallibiles inferentem, Deo Naturæ Autori subjectum innuit, ac respicit non sola astra sed omnes causas naturales.* Neq; id immerito. Superior enim æquè atque inferior mundus probè spectandus. Hinc physicus cum fato fieri pluviam aut nivem aut fulgura dicitat, non ad astra tantum, sed etiam ad mundum inferiorem, terramque imprimit & aquam, è quibus variè egrediuntur atomi, respicit, adeoque astrologo non simpliciter fidem adhibet. Quo de Fato Philippus iterum p.134. *Fatum, inquietus, significat seriem causarum naturalium, id est, copulationem stellarum cum temperamentis & inclinationibus.* Id fatum vocat Ptolomæus *Physicum*; Ut si dicatur Marchio Johannes Albertus fato corpus obnoxium mortis habere. Item p.136. Diximus, *Fatum Physicum* vocari stellarum positum, qui vel in elementis vel in animantium corporibus causa est certarum qualitatum, ut manifestum est, aerem nos ambientem fieri calidorem, cum Sol in æstate proprius ad verticem nostrum accedens radios in eum rectiores spargit.

§.5. *Fatum Stoicum* absolutam rerum necessitatem ex siderum influxu aliarumque causarum creatarum nexu ortam, omnes actiones cum humanas tūm divinas respicientem dicit. Putarunt enim Stoici (uti communiter fertur) omnia quæcunq; sunt, ob certam quandam causarum colligantiam, suam efficaciam ex astrorum motibus trahentem fieri, imò DEUM ipsum

ipsum etiam numen Parcarum carcere clausum esse: Qvo de  
iterum Philippus l. c. p. 134. f. 2. Fatum Stoicum est connexio  
primæ causæ cum secundis naturalibus & voluntariis, talis, ut  
nec prima causa aliter cire existimetur, qvam ut secundæ fe-  
runtur, nec voluntas aliter agere posse existimetur, qvam ut  
impellitur à præcedentibus causis, naturalibus inclinationibus  
& visis, id est imaginatione objectorum.

## SECTIO SECUNDA

*tradens*

### Conjectaria Fati,

*qvorum*

### Primū,

*ita habet*

Fatum Physicū directē hūc spectat  
nec laude suâ destituitur.

§. 1. Fatum enim hoc ordinem dicit causarum natura-  
lium inferentem necessarios & infallibiles effectus, ceu supra-  
innuimus. Physica nāq; uti jure merito audit scientia, scire ve-  
rò est rem per causam proximam cognoscere; Ita qvando Phy-  
sicus nexus causarum naturalium cum suis effectis infallibi-  
lem tradit, ex officio agit & id præstat, qvod sui munera est.  
Et optandum sanè, ita vigere sensus nostros, qvò experientiam  
qvoq; referimus, & tām perspicuam rationem esse ut nunc à  
priori nunc à posteriori per sensum & rationem perfectè co-  
gnoscere queamus cuncta naturæ opera, horumq; effectus ne-  
cessarios & infallibiles, sed ingeminandum perpetuò illud *Scac-  
tigeri*: Nos in luce rerum tenui caligamus, in mediocri cæcu-  
timus, in majori cæci sumus, in maximâ insanimus. Tantum  
tamen abest, ut Physicus à contemplatione causarum natura-  
lium abstrahi se patiatur, ut potius satagat eò diligentius re-  
rum suarum, qvò difficiliores cognitu sunt. Hæc enim ipsius  
cura unica sit.

§. 2. De cætero solitus etiam sit, qvod non in mino-  
rem ipsius laudem cedit, in serie causarum singularum discri-  
minan-

minandâ, cum qvâ certi conjuncti sunt effectus. Non enim universalibus & remotis causis tantum inhærendum, nec solæ particulares & proximæ tenendæ sunt, Loca etiam cum primis consideranda, cum non tantum in aliis terris aliæ arbores, sed alii etiam homines sint. Pulchriora & majora omnia in Asia, inquit ex Hippocrate *Adrianus Sperlingius l. 1. de Hum. Corp. Fabr. c. 7*, qvam in Europâ nascuntur, idq; ob temporum anni temperiem fieri credendum est. Asia enim in medio solis exortu ad auroram sita, à frigiditate & caliditate omni excedente remotior est. Europæi formâ & magnitudine corporis per qvam inter se differunt, idq; propter temporum maximas & frequentissimas mutationes. Sic Dani, Batavi & Germani ut plurimum magni sunt ac pulchri, Angli item & Scotti, Galli & Hispani contra magnâ ex parte breves: at Itali & Græci medioeris staturæ. Veneti etiam proceri & elegantis staturæ dignitate eminent, id qvod Patriti nobilesq; docent, qvi aborigenes sunt, reliquum vulgus, qvod ex omnibus orbis partibus confluxit, promiscuum est.

### Secundum.

Fatum Astrologicum ut in se certissimum; ita ratione Astrologorum, qvi fati hujus fundamentum posuere vel in veris certisq;; vel in incertis, conjecturâ valde dubiâ subnixis, falsis, absurdis, impiis, vel prudentissimum vel vanissimum.

§. I. Fate Astrologico fieri anni varietates secundum æstatem, Autumnum, hiemem & ver: fieri dierum & noctium vicissitudines sapientissimè interposito crepusculo; fieri humorum augmenta & decrementa in plantis & cunctis animalibus: fieri ecclipses aliasq; Stellarum oppositiones, conjunctiones &c. ejuemodi plurima, adeò certum est ut qvam certissimum.

B 2

Astro-

Astrologis etiam, dum fati hujus fundamentum ponunt in  
veris certisq; i.e. virtute siderum in hæc inferiora, prudenter  
agunt idq; præstant, qvod sui muneris. In lucidis enim ac  
cælestibus corporibus, ubi tanta est varietas, non admirandam  
esse efficaciam qvis credat? De Sole, & Luna aliis Planetis su-  
pra qvædam adduximus è Vossio l.c. Consideremus juxta eun-  
dem stellas fixas? Ex earum ortū & occasu, inquit ipse, nautæ  
atq; Agricolæ anniversariæ prævident tempestates. Idem  
observant ab Arcturo tempestates cieri, ab Hyadibus pluvias,  
ab Orio ne nimbos. Etiam capram cælestem ortū suo vitibus  
nocere, apud Pausaniam legas in Corinthiacis. Jam qvanta  
est vis, subjicit, qvinq; Erraticarum? Qvod peritiores hujus  
artis maximè observant, qvando cum Sole & Lunâ, aut ipsæ  
inter se conjunguntur. Soli enim Saturnus additus aëra red-  
dit nubilum ac turbidum. Jupiter ac Mercurius, si arctiùs so-  
cientur, ventos procreant & tempestates. Mars & Venus, si  
aptis cœli locis jungantur, imbræ generant, & qvandoq; et-  
iam fulmina ac tonitrua. Atq; hæc cum primis contingunt  
in Lunæ συζυγίᾳ conjunctione, vel ortu etiam fixi sideris ex il-  
lustrioribus. Imò ne minores qvidem ex fixis effectu carent,  
si cum planetis copulentur. Nimirum stellæ omnes fixæ sunt  
instar fœminarum, qvæ steriles per se, gravidae fiunt, si jungan-  
tur planetis. Sic stellæ cancri nebulosæ à Ptolomæo di-  
cuntur suffocantes & pestilentes. Sed vis ea concipitur à Pla-  
netis. Ut anno factum cl. I. LXIII. cum in Leonis initio  
juxta eas stellas partiliter jungerentur Sol & Saturnus, atrox est  
pestilentia aliquot consecuta annis per Europam universam.  
Qvod si ea sit siderum vis in elementa & hinc conflata: Etiam  
vis cœli se exeret in corpora humana, cum homo ex elementis  
constet, aëra hauriat, cibo & potu nutriatur. Sed vis sideris se  
nullius prodit manifestius; qvam Lunaris. Nam morbo ca-  
duco & similibus laborantes vehementiores habent paroxy-  
fmos circa novilunia, plenilunia & medias quadraturas: Non-  
nulli etiam tantummodo se male tūm habent. Nec hydropi-  
ci unquam laborant vehementius, qvam circa plenilunia; ac  
penè omnes etiam circa id temporis moriuntur. Hæc ex illius  
mente.

§. 2. Cæ-

§. 2. Cæterum qvi Fati Astrologici fundamentum in incertis, falsis, dubiis, impiis posuere, illi nihilominus quam Astrologi sunt. Animus quidem jam non est perseqvi pluribus, quomodo alii manus partes singulis subjecerint Planetis; alii Planetarum vim in quodque corporis membrum ex quadam analogia colligant; alii singulis animæ facultatibus aliquem praefecerint ex planetis. Illud tamen omnino taxandum, cum maxima rerum pure contingentium & necessariarum diversitas detur, illas pro his venditari, atque his tantum non aequipari. Videas enim hinc ab Astrologis talia praedici, quæ à solis astris non dependent, virtutes ac vicia, honores, ignominiam, divitias & paupertatem, connubia, liberos, morbos, ipsamque adest voluntatem, quæ suam in agendo libertatem habet, ab astris determinari. Contra quos cum B. Sperlingio in Exercit. suis *Physicus*, ita argumentamur: Quaecunque à solis stellis non dependent, ea ab Astrologis praedici nec possunt nec debent. Major patet, quia non judicat artifex extra artem, & futor ultra crepidam. Minor in confessu est: A solis Astris bella non sunt, nec mores, nec morbi, nec mortes. Ubique proprieates dantur causæ, quatum major potestas majorque certitudo, quam remotarum. Et si falluntur adeò in pluviarum, ventorum ac temporum prædictionibus, quid sibi aliisque promittere poterunt de iis, quæ liberam hominis sequuntur voluntatem. Si non est id, quod magis probabile erat, multò minus illud erit, quod minus tale est. Porro: Quicquid suam in agendo libertatem habet, illud ab astris non determinatur. Voluntas suam in agendo libertatem habet. E. voluntas ab astris non determinatur. Major ex libertatis natura constat, velle enim potest & non velle etiam omnibus præsentibus requisitis. Minor in ore omnium est. Hinc rectissime Casmannus ait: Astrologi profitentur, se futuras hominum actiones eventusque ex sua artis observationibus præsentire & prænunciare posse. Hoc autem falsum est, futura enim quæ ex liberâ hominis voluntate proficiisci debent, nullis possunt esse nota Astrologis, nam cognoscere futura in seipsis, quod fieri non potest, quippe quæ futura sunt, nondum per se actu sunt, quod autem non est, prorsus non est, non intelligitur, sed prout aliquo modo est, nimis.

rum potestate in suis causis. Nec præcognosci queunt futurae  
in suis causis, quæ tres sunt: DEUS, cœlum, voluntas humana.  
Quæ autem ex DEI proposito, consilio & absolutâ voluntate  
eventura sunt, ea nulli mortalium, vel ex cœlo vel ex aliâ quâ-  
cunq; ratione, nisi cui DEUS voluerit aperire, cognita esse pos-  
sunt. Ex cœlo autem futura, quæ pendent ex voluntate homi-  
nis non possunt cognosci, quia cœlum est causa universalis, qua-  
re effectus futuri particulares non nisi universaliter & indeter-  
minatè in cœlo contineri & cognosci possunt; tūm etiam  
quia cœlum est causa corporalis & materialis, quare animus  
noster, qui per se incorporeus & expers materiae est liberq; in-  
agendo, cœli efficientiae & operationi directe & necessariò mi-  
nimè subjacebit: Voluntas humana, quæ est proxima causa  
humanarum actionum respectu futurorum, quæ ex ipsâ profi-  
cisci debent, indifferens & indeterminata est: multa enim  
acturi sumus, de quibus nihil dum cogitavimus, nedum delibe-  
ravimus: quomodo igitur causa indeterminata & indifferens  
potest definitam certamq; futuri effectus cognitionem parere.  
Quò spectant illa Philippi p. 143; Necessitatem, inquietis, simul  
doceri, nequaquam omnes eventus ad astra referendos esse,  
sed cum de actionibus humanis & eventibus, qui hominibus ac-  
cidunt, loquimur, causæ præcipue sex sunt considerandæ: Vo-  
luntas hominis, temperamenta, astra, DEUS & Diabolus, Item  
externa violentia, quæ varias causas impulsionis habere potest.  
Quod Paris abduxit Helenam, non stellæ, sed in utroq; volun-  
tas propria causa est. Ad voluntates ac causas impellit Dia-  
bolus. Poterat autem voluntas in Paride revera se frenare,  
ac imperare membris, ne alienam abducerent. Et Helena ad-  
versari potuit, ac imperare membris, ne mæchum seqveretur.

§. 3. Solent quidem sententiæ seqvioris Patroni afferre  
nonnulla, quibus rem probare satagunt. Ac contentos se ini-  
tiò ajunt prudentissimo & verissimo Galeni judicio, qui de astro-  
rum effectibus loquens ait, sophisticum esse manifestæ experi-  
entiæ velle contradicere. Dein ingentem adferunt copiam  
eorum, qui res manifestas ex sideribus præviderunt. In his est  
ipsis Theagenes, qui prædixit Augusto imperium, teste Sveto-  
nio in Octavio cap. XCIV. Thrasyllus item, qui Tiberio ipse  
osten-

ostendit, gnarum se periculi ab Cæsare sibi imminentis, de quo Tà-  
citus in VI. Annal. & Dio lib. LV. Ex quo etiam Xiphilius refert, ut Mathematici à Vitello urbe pulsi, prædixerint ei, fore, ut intra  
Kalendas Octobris periret: intraq; id tempus decessisse. De A-  
scletarione etiam mirabile, qvod narrat Svetonius in Domi-  
tiano: Hunc (Ascleterionem Mathematicum) delatum, nec insi-  
ciantem, jactasse se, qvæ prævidisset ex arte, sciscitatus est Domitia-  
nus, qvis ipsum maneret exitus: & affirmantem, fore, ut brevi  
laceraretur à canibus, interfici quidem sine morâ sed ad coarguen-  
dam temeritatem artis, sepeliri quoq; accuratissimè imperavit.  
Qvod cum fieret, evenit, ut repentinâ tempestate, dejecto funere se-  
miustum cadaver discerperent canes. Qvod paulò tamen aliter  
ex Dione refert Xiphilinus. Vide & qvæ Eunapius de Ablabio in  
vitâ Ædesii scribit: Item Zonaras aliiq; de Athenaide, qvæ po-  
stea fuit uxor Theodosii Junioris. Etiam Rodolpho Habspur-  
gensii imperium est prædictum, ut narrat Cuspinianus: Pontifica-  
tus item Leoni X. & Adriano VI, de qvibus Paulus Jovius, Sub-  
jiciunt tandem & inferunt: Qvod Chiromantia è lineamentis ma-  
nuum, qvod Physiognomia è vultu hominis, id multò magis Astro-  
logia ex Astris potest. Sed Chiromantia è lineamentis manuum &  
Physiognomia è vultu hominis inclinationes, virtutes & vitia cu-  
jusq; prædicunt. E. Antecedens constat: Qvia juxta Aristotelem  
animosi sunt, qvibus frons magna, terfa & levis: Ingeniosi, qvibus  
caro mollior & humilior: Moderati & mansueti, qvi incessu &  
voce tardi, qvi oculos nec valde apertos, nec omnino clausos ha-  
bent: Misericordes, qvi colore albo sunt, oculis pinguioribus,  
naribus patulis: Avari, qvi tetricam & rigosam frontem habent.

§. 2. Veruntamen ut taceamus, sapientissimos qvosq; gen-  
tilium artem hanc non artem putasse, eiq; credulos damnaesse de-  
mentias, unde etiam teste Suida, Alexandriæ qvoddam tributum  
nomine Blacennomium erat, qvod Astrologi penderent, qvia ad  
eos accederent stulti aliaq;, respondemus nos ad objecta cum B.  
Sperlingio l.c. primò in genere: Sciri posse ortus & occasus stella-  
rum, aspectus & Eclipses, aliaq; statum cœli concernentia, infalli-  
biliter: pluvias, ventos, terræ motus, fæcunditatem, sterilitatem  
morbos, probabiliter: casus humanos, morbos, mortes &c. nullo  
modo. Deinde in specie. Glorientur Astrologi, multa falsitatis ex-  
empla

empla totus novit mundus. Benè admodum *Seneca*, plerosq; di-  
xere victuros & nil metuentes oppressit dies. Aliis dedere finem  
propinquum, at illi superfuere. Sic *Conimbricenses*: Figmenta  
hæc sunt Astrologorum, qui fabulis non minus quam Poëtæ cœlum  
implevère. Commenta sunt hominum, qui lucrum ex fallaci admira-  
tionum illecebrâ querunt, quiq; quemadmodum aranearum tela  
culices & muscas, ita ipsi indoctos & imperitos aucupantur. Præterea  
nō adeò operosum est singulis exemplis occurrere, quā arbitrantur.  
Trifariam enim fit, ut eventus prædictioni respondeat. Est cum ali-  
quid præscitur è commercio cum Dæmonie; qui ob subtilitatem &  
experientiam raro fallitur, unde sèpè, quod prædicit, Deo permit-  
tente, evenit. Est item cum Astrologi familiares sint viris magnis,  
& quæ illi moliantur, gnari, multa ex sideribus se jactent præscire,  
quæ aliunde dederunt. Est deniq; cum spes ψίμαλοι aut fraudibus  
subacti, in multis falsis aliqua dicunt, quibus eventus casu respon-  
deat. Nec enim verum semper dicere, innumeris comprobatur  
exemplis. Quod ajunt de Chiromantiâ & Physiognomiâ, non  
minus certitudine caret, dubium enim per æqvæ dubium, incertū  
per incertum probant. Elineis manum & vultu voluntatis actio-  
nes qui prædicunt, temerarii sunt, stulti qui credunt, teste sèpius  
laudato B. Sperlingio. Quo cum faciunt *Conimbricenses* l.2. c.3. q.8.  
art.2. pronunciantes, non posse Planetarios certi alicujus hominis;  
regni aut civitatis casus, fortunas aut circūstantias rerū negotiorū-  
ve prædicere. Ut, an Alexander veneno peritus sit? An Æschylus  
Poëta casu testudinis ab aquila demissæ interimendus? an regnum  
Græcorum regno Persarum diutius durare debeat? aliaq; hujusmo-  
di; quæ tamen Astrologorum in observando superstitionis vanitas  
atq; in pronuntiando inconsulta temeritas se scire profitetur, qui-  
bus certè in rebus illi non tam multa metiuntur, quam mentiu-  
tum, neq; tam ex cœli, quam ex sui cerebri vertigine loquuntur.

### Tertium

## Fatum Stoicum fatuum omnino est.

Fatum Stoicum, ceu communiter traditur, infere necessitatem immu-  
abilem non in naturalibus modò, sed omnibus rebus, adeò ut nec DEUS ipse po-  
tuerit res aliter condere quam condidit, & gubernare aliter, quam gubernat, è su-  
perioribus constat. Quod fatum cum non modo hominum & Angelorum, sed  
& ipsius DEI gloriosi libertatem tollat, quotusquisq; est, qui illud non stultum ac  
brutum statuat? Ceu pluribus id dedit B. Sperlingius in Institut. l.1.c.10. q.4. è  
comparati sententia, circa illud vero nonnulla egregie monet in Exercit. p.136. quā  
videlicet, cum nobis esse prolixioribus non licet.

הנ"